



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Statuitur affirmativa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

versione ad DEUM ut ultimum finem : ipsum verò appetitum sensitivum illo vigore, quo sub-
jiciebatur rationi : ergo sicut justitia originalis
primario & principaliter in anima substantia,
diffusivè verò & quasi integraliter per suas pro-
prietates in animæ potentiis recipitur ; ita pari-
ter originale peccatum primario & immediatè in
animæ substantia, diffusivè autem & secundario
secundùm suos effectus in animæ potentiis reci-
pitur : Unde sunt illa animæ vulnera ; malitia in
voluntate, ignorantia in intellectu, fomes con-
cupiscentiæ in appetitu sensitivo. De quibus in
Tra&. de grat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. **O**bjicies primò authoritatem D. Th. hic q. 82.
a. 1, in c. dicentis : *Sic ergo privatio origi-
nalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur DEO,
est formale in peccato originali ; omnis autem alia
inordinatio virium anime se habet in peccato ori-
ginali sicut quoddam materiale.* Ex quo sic ar-
guitur. Justitia originalis, quatenus volunta-
tem DEO subjiciens est in ipsa voluntate : ergo
etiam privatio justitiæ, quatenus voluntatem
DEO subjicientis, est in ipsa voluntate : sed jux-
ta D. Th. formale peccati originalis est privatio
justitiæ ut voluntatem DEO subjicientis ; ergo
formale peccati est in voluntate, non in substan-
tia animæ.

Respondeo. Tò per quam, intelligi radicali-
ter & causaliter, non formaliter ; sicut etiam Tò
subdebatur intelligendum est consecutivè per
modum primæ proprietatis. Unde ad argumen-
tum distinguo antecedens : justitia originalis
quatenus voluntatem DEO subjiciens est in ipsa
voluntate, est secundum effectum secundarium,
& consecutivè concedo ; secundùm effectum pri-
mariū, nego : eodemque modo distinguo con-
sequens. Subsumptum quoque distinguo. Se-
cundùm S. Doctorem formale peccati originalis
est privatio justitiæ, quatenus voluntatem DEO
subjicientis causaliter & radicaliter per effectum
secundarium, concedo ; formaliter & per effe-
ctum primariū, nego subsumptum & conse-
quentiam.

5. **O**bjicies secundò eundem S. D. cit. q. a. 2. ad
3. quòd peccatum originale inscit diversas partes
anime, secundùm quòd sunt partes unius totius, sicut
& justitia originalis continebat omnes anime
partes in communi. Ergo sentit S. D. quòd pec-
catum originale non tantùm sit in anima, sed et-
iam in partibus, hoc est, potentiis ipsius.

Respondeo, sensum S. Doctores sufficienter

colligi ex adjuncta comparatione cum justitia ori-
ginali. Itaque sensus est : Peccatum originale
integraliter sumptum, tam secundùm secunda-
rios, quàm primarios effectus, tam secundùm pro-
prietates, quàm secundùm essentiam non tantùm
afficere substantiam animæ, sed etiam potentias
ipsius ; sicuti in eodem sensu hoc præstat justitia
originalis, quo non obstante idem peccatum me-
taphysicè formaliter, & essentialiter sumptum est
in sola animæ substantia ; unde illo ipso an in
corpore dicit : quòd omnis alia inordinatio vi-
rium anime [præter privationem justitiæ, per quam
voluntas DEO subdebatur] se habet in peccato ori-
ginali, sicut quoddam materiale.

Objicitur tertio : Anima non est capax culpæ,
nisi mediante voluntate : ergo culpa originalis
per prius in voluntate, quàm in anima recipitur.
Antecedens probatur. Nullum voluntarium reci-
pitur in anima, nisi mediante voluntate : sed
omnis culpa etiam originalis, est voluntaria ; ergo
nulla culpa nisi mediante voluntate in anima
recipitur.

Respondeo, negando antecedent, ejusque pro-
bationem distingo. Nullum voluntarium reci-
pitur in anima, nisi mediante voluntate, tan-
quam causa quasi efficiente, concedo ; tanquam
subjecto, nego : ergo nulla culpa nisi mediante
voluntate tanquam causa in anima recipitur,
concedo, sic enim voluntate Adami mediante
macula originalis contrahitur ; tanquam subje-
cto, nego consequentiam.

Instas. In causis immanenter operantibus, id-
dem est subjectum termini & operationis : [sicut
ideo verbum mentis est in intellectu, & impulsus
in voluntate] ergo sicut malitia actualis peccati
immediatè recipitur in voluntate, sic etiam mali-
tia habitualis peccati tanquam terminus illius ;
& consequenter culpa peccati originalis median-
te voluntate non solum ut causa, sed etiam ut
subjecto in anima recipitur.

Respondeo, distinguendo majorem. In cau-
sis immanenter positivè effectivè & directè cau-
santibus terminum, idem est subjectum operatio-
nis & termini [quod probant instantiæ adductæ]
concedo majorem ; privativè, defectivè & indi-
rectè causantibus, nego antecedens & conse-
quentiam : quia per peccatum actuale non nisi
defectivè, privativè & indirectè causatur priva-
tio gratiæ sanctificantis, quæ est macula peccati
habitualis terminativè voluntaria ; in quantum
voluntaria averfio ab incommutabili bono ratio-
ne directæ oppositionis cum efficaci conversione
ad illud habet indirectam, sed tamen metaphysi-
cam repugnantiam & impossibilitatem quæ
gratia Divina ; de quo in Tra&. de gratia.

ARTICULUS II.

*Utrum Beatissima Virgo Maria contraxerit debitum
peccati originalis ?*

SUMMARIUM.

1. Quid intelligendum nomine Immaculata Con-
ceptionis ?
2. Quanta certitudo Immaculata Conceptionis ?
3. Admittendum in B. Virg. aliquod debitum.
4. Divisio debiti in proximum & remotum.
5. Utriusque debiti differentia.
6. Sententia negans debitum probatur authoritatè.
7. Et ratione.